

Januarii et Antonii de Padua; ac pro Urbe Panormi Festum S. Rosaliae V., assignato die Festo Patronorum peculiarium locorum et Civitatum, proxime sequente die Dominico. Hinc Dubium: „An in universa parte Regni trans Phorum Festum S. Antonii transferendum sit cum respectiva celebratione Officii, Missae et Octavae ad proximum diem Dominicum; vel faciendum in propria 13. Junii cum Octava, sed sine praecepto abstinendi ab operibus servilibus et adstandi Sacro? S. C. resp.: „Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.“ n. 4594 ad 1 die 12. Apr. 1823.

NOTA GARDELLINI:

Simili dubio a S. R. C. provisum jam fuerat in Aquilana sub die 18. Octobris 1818. Cum enim vigore Brevis expediti die 10. Aprilis ejusdem anni super reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regnis, illud S. Antonii Patavini retinendum sit sub utroque praecepto in propria die dumtaxat Neapoli; ideo idem Sanctus in aliis Civitatibus et locis, in quibus non est peculiaris Patronus, etsi retineat juxta concessionem ritum primae classis, amoveri tamen non debet a die in Directorio assignata, neque ad sequentem Dominicam transferri, sed dempto onere interessendi Sacro, et abstinendi a servilibus: translationem vero obtinebit ad proximam Dominicam, ubi principe Patronatu gaudet, veluti in laudato Brevis de Patronis principalibus locorum sancitum est, (vide adnotationem ad laudatum Decretum 18. Octobris 1818), nisi Episcopus juxta facultates locorum Ordinariis tributas in altero Brevis expedito die 15. Octobris ejusdem anni, servataque forma ibi praescripta, indulgeat, ut Festum S. Antonii Patavini, ubi Patronus principalis est, propriam sedem retineat.

S. APOLLONIA.

Vd. *Lectiones non approbatae.*

APPARITIO S. MICH. ARCH.

(Transl.)

Fratres excalceatos S. M. de Mercede Ordinis Redemptionis Captivorum in occurrentia festorum Ascensionis Dom. et Apparitionis s. Mich. Arch., *Patroni eorum Ordinis*, debere transferre Officium s. Michaelis, non obstante quacunque consuetudine et contraria observatione. n. 2147 die 21. Jan. 1662.

APPLICATIO MISSAE.

1) Conventualis de Req.

Vd. *Missae conv.*

2) In die Commemor. Omn. fidel. defunct.

Vd. *Missae de Req.* (applicatio).

In die Commem. Omn. Fidel. def. Sacerdotes in missis de Requiem possunt Sacrificium applicare ad libitum. n. 2241 ad 9 die 4. Aug. 1663; n. 4119 ad 4 die 2. Sept. 1741.

Ad dubium: an in die Commemor. Omn. Fidel. def. licitum sit applicare missas in particulari ad libitum celebrantis et a petentibus easdem missas eleemosynam accipere, seu potius debeant applicari missae secundum intentionem s. Matris Ecclesiae pro omnibus Fidel. defunct., licet pro missis dentur eleemosynae? S. C. resp.: Detur decret. de 4. Aug. 1663 (ut supra); n. 3819 ad 5 die 14. Decbr. 1709.

3) Episcopi.

Vd. *Missae conv.* (tempus; decr. n. 4669).

Ad dubium: Episcopi tenentur ad applicationem Missae pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio? S. C.

resp.: „Post adeptam possessionem.“ n. 4669 ad 22 die 12. Nov. 1831.

4) Pro Monialibus.

Supplicat Archiep. Quebecens. declarari: an Cappellani Monialium curae praepositi ad Missam pro iisdem Monialibus diebus Dom. et festivis de praecepto applicandam teneantur?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit: „Non teneri, quum non sint Parochi.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4988 ad 4 die 7. Decbr. 1844.

5) Parochi pro populo.

Vd. *Festum de praecepto* (decr. n. 1411); *Regulares* (Officium; decr. n. 5050).

Cum nonnulli ex Parochis intra fines Ducatus et Dioecesis Camerinen., unum dumtaxat Principem Patronum in unoquoque loco sub utroque praecepto venerandum colendumque contenderent, scilicet S. Venantium Camerinensem, posthabitis peculiaribus cujusque loci Patronis principalibus, in quorum festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro Populo, prout per plures annos egerant. Institutum praeterea fuit in C. Ordinaria S. R. pro declaratione: An festum utriusque Principis Patroni Status scilicet Camerinen., et uniuscujusque loci, celebrandum foret sub utroque praecepto? Et num Parochi omnes in praefatis Festis tenerentur applicationi Missae pro Populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis? ut in supplici libello sequentis tenoris:

Emi. e Rmi. Signori. „Lo stato di Camerino, che forma Provincia separata affatto dall'Umbria, e dal Piceno, venera come Protettore principale S. Venanzio Martire, e ne celebra la Festa con rito doppio di 1. classe, coll'Ot-

tava, e ne osserva la Festa di precepto.“

„Quasi tutti i singoli Paesi contenuti dentro i limiti di esse Stato, hanno i rispettivi particolari Protettori principali canonicamente eletti, confermati dalla Sagra Congregazione de'Riti, e assegnati ac medesimi sempre dal Calendario Dioecetano di Camerino col rito conveniente a tali Santi di doppio di 1. classe coll'Ottava, e con tal rito se ne celebra effettivamente in ogni luogo la Festa.“

„Costa apertamente dalla Costituzione della S. M. di Urbano VIII., che comincia Universa §. 2; non che da moltissimi celebri Autori, segnatamente dai Salmaticesi, Ferraris, Merati etc., che tanto l'una, che l'altra Festa di tali Protettori, del Protettore cioè di Provincia, e del Protettore del Luogo contenuto nella stessa Provincia, siano di precepto coll'obbligo di ascoltare la Messa, e di astenersi dalle opere servili.“

„Alcuni Parrochi, ciò non ostante, sono fissi nel sostenere, che la Festa de Protettore del Luogo particolare non è di precepto, perche si osserva di precepto la Festa del Protettore della Provincia, e si dispensano dall'applicare pro Populo, e permettono le opere servili.“

„Per togliere tali disordini, e quelli, che da essi derivano, si supplica per la formale dichiarazione, che l'una, e l'altra Festa dello Stato, et Ducato di Camerino e precettiva, e che sono tenuti a rimettere, o ad ottenere l'assoluzione per le Messe pro populo da essi tralasciate. Che etc.“

S. eadem R. C., ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. de Somalia eidem C. Praefecti ac Relatoris, habita prius informatione de praemissis per R. Vic. Cap. Camerinen. scripto pandita respondit: „Servandum esse de praecepto utrumque Festum, et Parochos teneri

ad applicationem Missae pro Populo, et ad D. Secretarium cum SSmo. Die 22. Martii 1817.

Facta autem, per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo. D. N. relatione, Sanctitas Sua S. C. sensum approbavit et confirmavit, atque in posterum servari mandavit, annuitque pro absolutione quoad praeteritum n. 4532 die 25. Martii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

S. C. responsum conforme est dispositioni Literarum Apostolicarum Urbani VIII. PP. dat. Idibus Sept. anni 1642 pro observatione Festorum, ubi, enumeratis distincte Festis in universa Ecclesia sub utroque praecepto servandis, ad peculiaria Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Locorum quod attinet, sancitum legitur, quod eodem modo videlicet, cum praecepto audiendi Sacrum, et cessandi a servilibus, recolantur etiam Festa unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter principalioris, in quacumque Civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contingat: Cum autem Civitates et Loca, quae nomine veniunt Status seu Ducatus Camerini, minime pertineant ad Provincias limitrophas, sed unam separatam Provinciam constituent; ideo juxta formam praefatae Constitutionis nendum tenentur ad solemnia Festi principalis Patroni universi Status, qui est S. Venantius Martyr; verum etiam ad alterum principalis Patroni, (si quis habeatur electus et confirmatus, juxta formam Decretorum generalium 23. Martii 1630) Civitatis seu Loci, ac proinde etiam Parochi in respectivis civitatibus, oppidis vel pagis ad applicationem Sacrificii pro populo tenentur. —

„Quaeritur primo, se li Parrochi siano tenuti continuare ad applicare

pro populo la Messa nei giorni di quelle Feste di un solo precetto, che sono state abrogate; *Secundo*, se debba continuarsi a dir cantata la Messa Parrochiale nei detti giorni?

Et S. R. C. declaravit:

„Affirmative ad utramque partem, quia satis declaratum est in praefato Brevi Apostolico, nihil esse innovandum quoad Chorum relate ad Festa, in quorum occursu sublaturum est praeceptum audiendi Sacrum. Quoad vero Festa Patronorum, cum ista reponenda sint in Dominicum diem infra Octavam tamquam in diem proprium, simul cum Officio et Missa transferenda etiam est solemnitas tam quoad Forum, quam quoad Chorum.“ Et ita etc. n. 4554 ad 4 die 18. Oct. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quum per Pontificium Indultum nihil sit immutandum quoad ecclesiastica Officia, recta consequitur, Parochos, recurrentibus Festis, in quibus populus solutus est ab obligatione audiendi Sacrum, teneri ad applicationem Missae pro populo eodem prorsus modo, quo tenebantur priusquam concederetur Indultum. Atque ita declaratum fuit a S. C. Concilii die 28. Mart. 1801 in *Camerinen.*, in qua, propositis duobus dubiis, videlicet:

1. *An diebus festis de praecepto a s. m. Pio VI. suppressis sit applicanda in futurum Missa pro populo in casu etc.?*

2. *An sit consulendum SSmo. pro absolutione quoad praeteritum in casu etc.? responsum fuit: Ad 1. et 2: Affirmative.*

Ad dubium: an Parochi rurales in suburbis et agris Terrae s. Geminiani degentes in dicta die (festivo Patroni princip. s. Geminiani) teneantur ad missae applicationem et ad annuntiandum populo abstinentiam ab operibus, pro integra observatione praecepti?

S. C. resp.: Affirmative ad utrumque. n. 4605 ad 2 die 27. Mart. 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Si *Benedictus XIV.* in sua Constitutione: *Cum semper oblatas*, de obligatione applicationis Missae parochialis pro populo ad hanc teneri Parochos declaravit, quos inter non leves erant abortae questiones, iis etiam in Festis, in quibus quoad nonnullas Dioeceses, firma obligatione audiendi Sacrum, alterum relaxaverat onus abstinendi ab operibus servilibus: *Nos*, ita inquit, *ut abortae dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in hujusmodi diebus festis (moderatis) penitus eliminantur, statuimus, et declaramus, quod etiam iisdem Festis diebus, quibus populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare teneantur:* Praeterea si ad eandem applicationem tenentur Parochi, iis quoque diebus antea festivis, quos *Sa. Mem. Pius VI.*, utraque obligatione sublata, suppressit, adjecta una tantum conditione, quod in sacris Ecclesiae functionibus nihil esset immutandum, veluti declaravit Sac. Congregatio Consilii, quae sub dubio proposito ab Antistide Camerinensi: *An diebus festis praecepto a Sa. Mem. Pio VI., suppressis sit applicanda in futurum Missa pro populo in casu etc.* sub die 28. Mart. 1801 respondit: *Affirmative;* multo magis potiorique jure ad id tenentur Parochi locorum, in quibus Patroni principis memoria sub utroque praecepto solemniter recolitur. Et quoniam Parochi rurales in suburbis et agris Terrae *S. Geminiani* adnexi venerari Patronum debent, quem uti principalem colunt Incolae Terrae: ideo et iisdem incumbit onus cum applicandi Sacrum pro populo, tum

annuntiandi subjectae plebi abstinentiam ab operibus servilibus pro integra observatione praecepti. Sciscitandi hic locus esse videtur, curnam hujusmodi excitatum sit dubium? Fortene, qui illud discutiendum proposuit, ea in opinione versatur, quod obligatio colendi Festum Patroni civitatis aut loci non extendatur ad suburbia, et Parochias rurales? Vehementer errat, qui ita existimat: nam sub nomine civitatis, et loci veniunt etiam suburbia et rurales Paroeciae, ac propterea horum Incolae colere debent cum eadem solemnitate principem Patronum ejusdem civitatis, aut loci. Ita Sac. Congreg. declaravit in Tridentina sub die 15. Sept. 1742. Dubium erat: *An dictum Festum (S. Marci Evangelistae in oppido Roboreti) tamquam de praecepto celebrandum ab Incolis totius oppidi, vigore Constitutionis: „Universa per orbem“ ab Urbano VIII. anno 1642 emanatae: an vero solum ab iis, qui ejusdem Ecclesiae parochiani existunt? complectitur autem haec Parochia fere totum oppidum, excepto unico suburbio trans pontem: et responsum fuit: Si Festum S. Marci erit tamquam Patroni oppidi Roboreti... vigore Constitutionis Urbani VIII., juxta Decreta S. R. C., tunc Festum S. Marci erit de praecepto observandum et celebrandum ab Incolis totius oppidi, etiam a trans pontem suburbis.* Merito igitur S. Cong. ad utramque dubii partem in casu proposito respondit: *Affirmative.*

Per Epistolam Encyclicam s. m. Benedicti Papae XIV. cautum est, ut omnes et singuli, qui actu curam Animarum exercent, et non solum Parochi et Vicarii Saec., verum etiam Regul. omnibus Dom., aliisque diebus festis de praecepto Missam Parochialem pro Populo applicare teneantur. Duplex de hujus Constitutionis sensu dubium exortum est; 1: Num non solum

Parochi, et qui Parochi vices fungentes curam *primariam* exercent, sicut hic habetur consuetudo, sed etiam omnes cura *subsidiaria* fungentes ad applicandum pro Populo diebus festis obligentur? Contra hanc extensionem, quam pauci, aut nulli sequuntur, nobis vox *Missae parochialis*, quae tamen solum unicum et ex sensu communi Sacrum solemne significat, rationem fundatam porrigere videtur. Denique dubitatur, num etiam in illis diebus festis, qui jam pridem auctoritate Sedis Apost. interveniente, hic locorum sunt abrogati, et hodie, ut dicunt, non in Foro, sed solum in Choro celebrantur, ita ut quoque obligatio Fidelium ad audiendum Sacrum sit sublata, adhuc obligatio Parochi ad applicandum pro Populo Sacrum perseveret? Antiqua Constitutione Ep. Monasterien. de anno 1772, quae vero in desuetudinem abiit, vel etiam numquam in praxim deducta est, statutum fuit, quod antiqua obligatio applicandi pro Populo abrogatione Festorum non tolli intendatur.

Et S. eadem C. ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitibus hac die coadunata, audita relatione... rescribendum censuit:

Quoad primam partem: solum teneri, qui Animarum curam *primariam* exercent: quoad secundam partem: juxta alias decreta, teneri etiam in Festis legitime abrogatis.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5014 ad 3 die 14. Junii 1845.

Ad dubium: Parochus hic et nunc aliquem substituit, qui die Dom. cantat summum Sacrum (quod hic posse censetur per consuetudinem): An Parochus privatim celebrans possit applicare pro suis, vel teneatur applicare facere pro Populo summum Sacrum?

S. eadem C.... rescribendum censuit:

„Posse vel per se vel per alium, quin requiratur Missa solemnis.“

Atque ita rescribere rata est. n. 5079 ad 4 die 27. Febr. 1847.

Dum superiori anno 1847 III. Kal. Mart. S. R. C. in una Vicariatus Ruremundensis in Hollandia ad Dub. IV. declaravit, Parochum posse vel per se, vel per alium in Dominicis applicare pro populo Sacrosanctum Missae Sacrificium etiam privatim celebrando, quin teneatur applicare Missam solemnem, cujus celebrationem interdum committit alii sibi benevisio Sacerdoti, super hac ipsa declaratione novum in praesentiarum proponitur Dubium, quod fundatur in declarationibus et Decretis alias a S. Congregationibus Urbis latis, et a quibus omnino exigitur, ut Parochus in Dominicis Festisque pro Populo applicet. Iterum igitur S. C. R. de sententia requisita, in Ordinariis Comitibus ad Quirinale subsignata die coadunata, post auditam a Secretario fidelem relationem ac maturum omnium examen rescribendum censuit:

„Responsionem datam die 27. Febr. 1847 intelligendam esse quoad Missam solemnem, de qua quaerebatur; nam proprius ad casum, non obstantibus alias decretis, et in facto declaratis, rescribere rata est: posse quemlibet Parochum, accedente justa et legitima causa, adimplementum Missae pro Populo applicandae alii Sacerdoti committere, seu per alium Sacerdotem hanc Missam celebrare facere.“

Atque ita rescripsit. n. 5129 die 22. Julii 1848.

Quaesitum fuit:

1. An parochi in dominicis aliisque festis diebus praesente cadavere teneantur celebrare missam pro def. et in aliam diem possint transferre missam pro populo applicandam?

2. An saltem applicationem missae pro populo supplere possint per alium Sacerdotem?

S. C. C. resp. ad 1 et 2: Negative; 26. Januarii 1771. S. R. C. 22. Julii 1848.

Ad dubium: Quum Parochus Orator praeter suam Parochialem Eccl., aliud Beneficium Curatum obtinuerit cum alia adnexa Eccles. Parochiali, an in Festis adigatur utramque Missam, quam celebrat, applicare pro populo, vel teneatur ad applicationem pro sibi commissis ovibus tantum de duobus Sacrificiis, veluti Dioecesanus Ordinarius, cui dubium proposuit, ei rescripsit.

Et S. eadem C.... respondendum censuit:

„Utramque Missam applicare teneatur pro populo utriusque sibi commissae Paroeciae.“

Atque ita rescripsit, propositaque Dubia rata est declarare. n. 5146 ad 4 die 7. Sept. 1850.

6) Vicarii capitularis.

Ad dubium: Vicarii Capitulares teneantur ad Missae applicationem pro ovibus Sede vacante? S. C. resp.: „Negative.“ n. 4669 ad 23 die 12. Nov. 1831.

APPROBATIO LIBRORUM ECCLESIAST.

Vd. *Missale* (approbatio); *Libri ecclesiastici*.

AQUA.

1) Baptismalis.

Vd. *Bened. fontis* (oleum).

2) Benedicta.

a) Celebrans se aspergit.

(Vd. *Aspersio aquae ben.*)

Ad dubium: an Sacerdos pergens ad celebrandum et calicem manu sinistra portans, possit accipere aquam bened. eaque se aspergere? S. C. resp.: Si commode fieri potest, se signet, sin-

minus, se abstineat. n. 4393 ad 14 die 27. Mart. 1779.

b) Semper in Eccl. esse debet.

Vd. *Aqua bened. in hebdom. maj.* (decr. n. 4669 nota).

c) In hebdom. majori.

Ad dubium: In ultimo majoris Hebdomadae triduo removendane est a vasis Ecclesiae aqua benedicta? S. C. resp.: „Affirmative, ac retinenda consuetudo illam amovendi.“ n. 4669 ad 60 die 12. Nov. 1831.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Nulla positiva Lege, nullo Rubricae praecepto, sed e praxi tantum removetur a Vasis prope Ecclesiarum fores Aqua benedicta ultimo majoris Hebdomadae triduo. Hinc haec consuetudo suos habet adversarios, tum quia ab Alexandro I. sancitum fuit: *ut aqua benedicta sale admixta perpetuo in Ecclesia asservetur*; tum quia Ritualis Romani Rubrica praescribit, ut aspergantur aqua benedicta infirmi, quibus SSimum. Viaticum, extremae Unctionis Sacramentum hoc triduo administrari contigerit, et aqua pariter benedicta aspergi debeant Defunctorum cadavera, quae tribus his diebus efferruntur: quibus supponi debet aquam benedictam in Ecclesiis reperiri. Aliam quoque addunt animadversionem, quam ex Rubricis Missalis in die Sabbati Sancti desumunt, quae agens de benedictione ignis et incensi praescribit aquam benedictam adhiberi: *Dicta Nona Sacerdos adstantibus Ministris, cum Cruce et aqua benedicta... et deinde praedicta grana incensi et ignem ter aspergit aqua benedicta.* Inferunt hinc Aquam benedictam in Ecclesiae Vasis existere debere; ac proinde etiam inferunt hi, quos inter praesertim *Cavalerius tom. 4 dub. 9 num. 11*: hanc consuetudinem esse